

De locis Pompejanis ad rem medicam facientibus disserit et ad audiendam orationem pro rite adeundo munere professoris in Academia ... / Dresdensi publice habendam ... invitat L. Choulant.

Contributors

Choulant, Ludwig, 1791-1861.

Publication/Creation

Leipzig : L. Vos, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ypwdtun5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

The background of the image is a traditional marbled paper pattern. It features intricate, swirling designs in shades of dark blue, grey, and white, with thin, branching veins of red and black. The overall effect is a complex, organic texture. In the center, there is a solid black rectangular box containing the title in gold lettering.

CHOVLANT
LOCIS POMPEIANIS 1823

Supp. 60,110/c

CHOULANT, J.L.
c



Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b28739693>

DE
LOCIS POMPEJANIS
AD REM MEDICAM FACIENTIBVS.

DE

LOCIS POMPEIANIS

AD REM MEDICAM FACIENTIBUS.

LIPSAE,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA HIRSCHFELDIANA.

DE
LOCIS POMPEJANIS
AD REM MEDICAM FACIENTIBVS

DISSERIT
ET AD AVDIENDAM ORATIONEM
PRO RITE ADEVNDO MVNERE PROFESSORIS

IN
ACADEMIA CHIRVRGICO - MEDICA DRESDENSI

PVBlice HABENDAM

HVMANISSIME INVITAT

L V D O V I C V S C H O V L A N T

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTOR, MEDICINAE THEORETICAE IN ACADEMIA CHIRVRGICO - MEDICA DRESDENSI PROFESSOR ET INSTITVTI POLICLINICI DIRECTOR, NOSOCOMII REGII ELISABETHINI MEDICVS ORDINARIVS, SOCIETATVM NATYRAE SCRVTATORVM INFRARHENANAE BONNENSIS, PLISNICAE ALTENBVRGENSIS, DRESDENSIS ET LIPSIENSIS, NEC NON SOCIETATIS MINERALOGICAE DRESDENSIS SOCIVS ADSRIPTVS, SODALITATIS PHARMACEVTICAE MINDENSIS SODALIS HONORARIVS.

Cum tabula lithographica.

LIPSAE,
PROSTAT APVD LEOPOLDVM VOSS.

1 8 2 3.

LOCIS POMPEIANIS
AD REM MEDICAM FACIENTIBVS

PRO RITE ADEUNDO MITHRIS PROFESSORIS



316534

LYBOVITZS CHOVAYAT

LIPSIÆ

1873

Pompejorum civitatem, anno septuagesimo nono post Chr. nat. submersam per integros mille sexcentos septuaginta sex annos latere in cinerum pumicumque copia passis sumus, donec tandem surgunt ruinae, nosque ipsos eorum coetui quasi jungunt, quos aetas per longam saeculorum seriem a nobis disjunxit. Patent denuo templa Deorum, patent forum et theatra, patent viae, quas per tantum tempus nullum pressit pedis vestigium, patent domus et intima earundem penetralia. Sed alto premuntur omnia silentio, perierunt incolae, et qui hodie has terras sibi vindicant, hospites sunt et in majorum, quos ipsi vix norunt, urbe peregrini. Sicut per viam sepulcralem patet introitus ad Pompejorum civitatem, sic haec ipsa magnum quasi et funebre videtur esse prisci splendoris monumentum. Quare quidnam in illa reperiatur, antiquitatis pars est et historiae; nosque medicos non dedecere videtur, introspicere, quidnam medicinae historia ex hoc uberrimo fonte sibi queat vindicare, et sic, Lector benevole, nostrae quoque scriptiunculae habes simul et argumentum et excusationem.

Indigitabimus quosdam in effossa hucusque Pompejorum parte locos, qui medici attentionem mereri videntur, scilicet locos, in quibus reperta sunt chirurgorum veterum instrumenta, vel pharmacopoeorum confectiones et vasa; sermonem faciemus de amuletis veterum, denique de templo Aesculapii Pompejis reperto; praemissis aliquot verbis de Pompejorum interitu. Plura certe a nobis exspectari poterunt annotata, ut balineorum constructiones, picturae et ex musivo opere icones, quae serpentum figuras ostendunt, statuae, quae ad medicinae mythologiam pertinere suo jure creduntur et id genus alia; sed omnia haec, obscura nobis et altioris indaginis visa, ad aliam scribendi occasionem remittimus, ne nostris humeris nunc, quod ferre recusent, imposuisse videamur.

POMPEJORUM INTERITUS.

Primas jam ruinas Pompeji dicuntur accepisse terraemotu illo, qui secundum SENECAM *) die quinto Februarii anni aerae Christianae sexagesimi tertii, secundum TACITUM **) vero anno sexagesimo secundo ejusdem aerae Campaniae regiones invaserat. Cum praeter hos duos nemo alius scriptorum veterum de hoc terraemotu Campaniam devastante memoriam fecerit, neque etiam hi ipsi in tempore constituendo convenient, dubitatum est, an res ipsa acciderit unquam. Mirum certe, quod neque PLINIUS senior, qui (histor. natur. l. II. c. 81—94. edit. *Harduini*) accurate et copiose de terraemotibus oppidisque inde devastatis agit, hoc ipsum sui temporis fatum, non attingat, neque etiam DIO CASSIUS (hist. l. 66.) ejusdem ullam mentionem injiciat. At cum neque SENECAE neque TACITO fides sua possit derogari et in ipsa Pompejorum urbe, ut nunc est, multa reperiantur aedificia, quae recenter restaurata fuisse videntur ante ultimam urbis stragem ***) , non dubitamus, quin terraemotus annis sedecim vel septendecim, antequam tota urbs periret, eandem magna ex parte concusserit.

Certissimis vero historicorum testimoniis confirmatur interitus Pompejorum die vigesimo tertio Augusti anni aerae Christianae septuagesimi noni, sub ingenti Vesuvii montis eruptione, quae PLINIO seniori, accuratius rem indagaturo, vitam eripuit. Hanc stragem diductius descripserunt PLINIUS junior, qui eam ex parte ipse expertus erat, et DIO CASSIUS, qui multo serius vixit. Prior vividissime et naturae convenienter eruptionem descripsit et terraemotum, uti ex Miseni promontorio eam ipse observare vel ex aliorum relatione cognoscere potuit †); alter poëtice magis et minus ac-

*) *Pompejos, celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque littus, ab altera Herculansense conveniunt, mareque ex aperto conductum amoeno sinu cingit, desedisse terraemotu, vexatis, quaecunque adjacebant, regionibus, audivimus, et quidem diebus hibernis, quos vacare a tali periculo majores nostri solebant promittere. Nonis Februarii fuit motus hic, Regulo et Virginio Coss., qui Campaniam, nunquam securam hujus mali, indemnem tamen et toties defunctam metu, magna strage vastavit. Nam et Herculansenis oppidi pars ruit, dubiaque stant etiam, quae relicta sunt etc.* SENEC. natur. quaest. l. VI. c. 1.

**) *Iisdem Coss. (P. Mario Celso et L. Asinio Gallo) — et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeji magna ex parte proruit.* — TACIT. annal. l. XV. c. 48.

***)) DOMENICO ROMANELLI *viaggio a Pompei a Pesto e di ritorno ad Ercolano ed a Puzzuoli.* Ediz. II. Napoli 1817. 12. (Part. I. pag. 103.)

†) PLINII junior. *epistol.* l. VI. epp. 16. et 20.; quae ad CORNELIUM TACITUM dabantur.

curate de hac re locutus, non eandem fidem meretur *). Distincte tamen DIO de Pompejorum et Herculani interitu narrat, de Stabiis, quae eodem die simul corruisse perhibentur, nil addit **).

Vesuvius mons ante illam anni septuagesimi noni p. Chr. eruptionem tamdiu quieverat, ut nemo eum tunc temporis putaret ignivomum, quamvis partim ex pervetustis narrationibus, partim ex massae solique adjacentis adpectu putaretur quondam arsisse ignesque projecisse. Sic STRABO (Geographic. I. V. c. 8.):

Ἵπερκεῖται δὲ τῶν τοῦτων ὄρος τὸ Ὀυεσσουῖον, ἀγροὺς περιουκόμενον παγκαλοῖς, πλὴν τῆς κορυφῆς· αὐτὴ δ' ἐπιπέδος μὲν πολὺ μέρος ἐστὶν ἀκαρπὸς δ' ὅλη· ἐκ δὲ τῆς οὐμείως τεφρωδῆς, καὶ κοιλάδας φαίνει σηραγγωδεῖς πετρῶν ἀιθαλωθῶν κατὰ τὴν χροαν, ὡς ἂν ἐκβεβρωμένων ὑπὸ πυρός. ὡς τεκμαιροῖς· ἂν τῷ τῷ χωρίῳ τοῦτο, καὶ εἶσθαι προτερον, καὶ εἶναι κρατῆρας πυρός; σβεσθῆναι δ' ἐπιλιπούσης τῆς ὕλης.

DIODORUS SICULUS (biblioth. histor. I. IV. cap. 21.)

Ὀνομασθαι δὲ καὶ τὸ πεδῖον τοῦτο Φλεγραῖον, ἀπο τοῦ λόφου τοῦ το παλαιὸν ἀπλετον πῦρ ἐκφυσῶντος, παραπλησίως τῇ κατὰ τὴν Σικελίαν Αἰτνῆ. καλεῖται δὲ νῦν ὁ τοπος Ουεσσουῖος, ἔχων πολλὰ σημεῖα τοῦ κελουσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους.

VITRUVIUS (de architectura I. II. cap. 6.)

Non minus etiam memoratur, antiquitus crevisse ardores et abundavisse sub Vesuvio monte et inde evomuisse circa agros flammam.

SILIUS ITALICUS (de bello Punico I. 12.):

Monstrantur Vesuva juga, atque in vertice summo
Depasti flammis scopuli, fractusque ruina
Mons circum atque Aetnae fatis certantia saxa,

et alibi

Sic, ubi vi coeca tandem devictus ad astra
Evomuit pastos per saecula Vesuvius ignes,
Et pelago et terris fusa est vulcania pestis.

*) DIO Cass. hist. rom. I. 66. c. 21—23.

***) Καὶ προσετι καὶ πόλεις δύο ὄλας, τὸ τε Ἑρκουλανον καὶ τοὺς Πομπηῖους, ἐν θεατρῷ τοῦ ὀμίλου αὐτῆς καθήμενου, κατεχῶσε

PLINIUS junior (epist. l. VI. ep. 16.):

Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur.

TACITUS (histor. l. I. c. 2.)

Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam saeculorum seriem repetitis afflicta. Haustae aut obrutae urbes. Foecundissima Campaniae ora et urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris.

Verosimile redditur ex his locis adeo perfecte siluisse priscis temporibus Vesuvium, ut ne vapores quidem ederet. Confirmatur hoc quoque FLORI testimonio, qui (epit. rer. Rom. l. III. c. 20.) de servis duce Spartaco gladiatore seditionem molientibus verba faciens haec habet:

Prima velut ara viris mons Vesuvius placuit. Ibi, quum obsiderentur a Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis, ad imas ejus descendere radices: de exitu invio, nihil tale opinantis ducis, subito impetu castra rapuere.

Quod ne nimis arduum et periculosum fuisse putes, vetat BRACCINII temeritas, qui non multum ante eruptionem anni 1631 aerae Christianae, itidem in craterem Vesuvianum descendit et quidem ita profunde, ut facile eum in regiones infra maris superficiem positas penetrasse persuasum habere possis. Postquam in hoc subterraneo itinere per miliare Italicum (*una miglia*) inter arbores et plantas permigraverat, speluncam vidit profundam, quam transgressus in viam venit valde declivem arboribus crebris cinctam, quae post duorum miliarium spatium in planitiem desinebat cavernis et speluncis cinctam. Has cavernas non intravit, obscuritate earum et loci discrimine absterritus. Igitur tria miliaria Italica (*miglie*) emensus est BRACCINI in Vesuvii montis cavo *); miliaria quatuor Italica explent spatium miliaris geographici.

Igitur illa Vesuvii montis eruptio, quae Pompejos et Herculenum submersit, prima fuit, quae Romanis ex hoc monte innotuit et suspicionem de eo coeptam reapse probavit. Ab hac ergo calamitate incipit recentior Vesuvii historia, prioribus saeculis ad fabulosam et conjecturalem ejus aetatem rejectis. Narrationem hujus eruptionis hic non repetimus, cum ex PLINIO juniore aliisque satis superque possit hauriri. Id

*) SCIPION BREISLAK *voyages physiques et lithologiques dans la Campanie, suivis d'un memoire sur la constitution physique de Rome. Paris, 1801. 8. (Tom. I. p. 185 sq.)*

tantum monemus, Vesuvii formam illa eruptione mutatam fuisse ita, ut qui prius unicus exstiterat vertex, inde duplex factus sit ex ruina montis in ea ejus parte, quae ad mare spectat. Vetustior altiorque vertex hodie *Monte Somma* nuncupatur et a recentiori vertice, quem proprie *Vesuvium* dicunt, per vallem *Atrio di cavallo* et *Canale di sabbia* separatur. Cum antiquiores scriptores nil de duplici Vesuvii vertice habeant, illa vero eruptio, quam vehementior quaedam ejusdem montis nondum secuta est, vere cum ruina montis *) conjuncta erat, nullus videtur dubio relictus locus, quin tunc temporis illa verticis quasi discissio facta sit. Est autem haec montis ruina sic quoque notabilis, quod diversa ratio, qua Pompeji et Herculaneum hodie adhuc oblecta reperiuntur, partim inde explicatur. Injectus est scilicet Pompejis cinis griseus et huic ipsi cinis nigrior; utrumque cineris stratum pumicibus levibus et griseis intermixtum. Hae massae temporum mole quasi onustae et oppressae firmiter in tufi vulcanii formam compactae sunt. Herculaneum sub cineribus profunde griseis vel nigris sepultum est, quibus pumices minores et fragmenta marmoris albi seu lapidis calcarei admixta sunt. Haec, quae Herculaneum obtegit, massa multo firmiter in tufi vulcanii formam compacta est, quam Pompejana, unde duae enatae sunt sententiae e contrario sibi invicem oppositae, quarum utraque aequae falsa. Sunt scilicet, qui dicant, Herculaneum fuisse Vulcanii amnis fluctibus ignitis (*Lava*) superfusum **), quod aperte falsum; sunt etiam qui utramque urbem, Herculaneum et Pompejos, alluvione vulcania scilicet aquis producta vulcania volventibus periisse contendunt ***), quod aequae falsum. Veritati propinquior videtur sententia eorum, qui ex imbre cinerum pumicumque vulcanio densissimo Pompejos putant fuisse submersos, Herculaneum vero iisdem quidem cineribus pumicibusque pluviis fuisse oblectum, sed mox ex ruina montis Ve-

*) *Jam vadum subitum ruinaque montis littora obstantia.* PLIN. jun. epist. l. VI. ep. 16.

**) *Questa eruzione ricopri di un torrente di cenere infocata e di piccole scorie arroventate interamente Ercolano etc.* ROMANELLI viaggio etc. (Part. II. p. 55.)

***) C. LIPPI *qualche cosa intorno ai vulcani, in seguito di alcune idee geologiche.* Napoli 1813. 8. Contra hunc, qui Pompejos et Herculaneum aqua et alluvione vulcania periisse contendit, bene et copiose disputat K. A. BLÖDE: *Beleuchtung der Hypothese des Herrn Lippi in Neapel, nach welcher die alten Städte Pompeji und Herculaneum nicht durch trockene Auswürflinge des Vesuvus verschüttet, sondern durch nasse Niederschläge begraben worden seyn sollen,* quae dissertatio legitur in: *Auswahl aus den Schriften der unter Werners Mitwirkung gestifteten Gesellschaft für Mineralogie in Dresden.* Leipz. 1818. 8. (T. I. p. 67—135.). Aliis sibi factis objectionibus respondere conatus est LIPPI in epistolis: *Fu il fuoco o l'acqua, che sotterro Pompei ed Ercolano?* Napoli 1816. 8.

suvii funditus obrutum et sepultum. Saecula vero ex hoc tempore elapsa nova insuper strata humi et scoriarum accumulando, collectionem pumicum cinerumque ita compresserunt onerando, ut intercedentibus aquarum fluctibus ex coelo post eruptionem vulcaniam immensa copia descendentibus, massa compactior orta sit (*tufo volcanico*) quae Herculaneum involvit. Nam Pompeji non ita firma et compacta massa, sed magis friabili sepeliuntur; quod si Herculaneum in septuaginta vel nonaginta, Pompejos in quatuor vel sex pedum profunditate latere nosti, non adeo miraberis. Ceterum massa pluvia vulcania minus proprio vocabulo *cinis* nominatur, commodius eam duce BREISLAKIO *) diceremus arenam vulcaniam (*sable volcanique*). Oculis armatis considerata particulas terreas informi mole ostendit, fragmentis Feldspathi et Pyroxeni (Leucit) intermixtas. Terras, quas obruit haec arena, summa fertilitate beat, quamvis ab initio, mole sua, plantas opprimat et destruat.

Perierunt igitur Pompeji, forsitan etiam Stabiae, ex ingenti cinerum pumicumque e Vesuvio ejectorum casu, Herculaneum vero non ex hac sola causa, sed simul ex ipsa montis ruina, super oppidum delapsa.

Quam magna quidem et horrenda fuerit haec his regionibus teterrima strages, certo tamen credi potest, incolas oppidorum trium deletorum vitam fuga servasse plerosque et paucos tantum periisse. Hoc ipse denotat sceletorum repertorum numerus, qui in Pompejorum parte hucusque effossa centesimum non multum superat, in Herculaneis ruinis duodecimum vix attingit. Et qui reperti sunt hominum sceleti certa signa impeditae fugae prae se ferebant; scilicet vel in carceribus inclusi vincitque, vel milites stationarii sub armis, vel sacerdotes templum Deorumque simulacra custodientes, vel heri cum servis numos pretiosaque vasa servare conantes, vel foeminae in cella vinaria securitatem malo omine quaerentes, vel denique matres-familias cum liberis servabusque domibus immorantes. Igitur verosimile est, omnes harum civitatum incolas fugam mature parasse, quod eo facilius fieri poterat, cum Vesuvina eruptio ex parvis inciperet principiis et sensim in immanem cresceret devastationem, ut ita cladi horrendae nuntius praevis non deesset. Praeterea observatum est, pumicum cinerumque Pompejos obtegentium strata in multis hujus urbis locis non in eodem ordine reperiri, ut in reliquis, unde conjicias, quosdam divites Pompejorum incolas, post

*) *Voyages lithologiques* etc. Tom. I. pag. 214.

cladem urbis superstites quaesivisse fodendo domorum suarum reliquias, et majoris pretii thesauros gemmarum numorumque e ruinis extraxisse, quo factum est, ut harum rerum pretiosarum parvus adeo numerus hodie effoderetur. Quare nil absurdius dici potest et inconcinnius, quam quae vulgo fertur ex *DIONE CASSIO* (l. c.) fabula: Pompejanos in theatro ludis assidentes fuisse a cineribus pluviis submersos. Quae tandem fuerit, quaeso, vecordia et incuria hujus populi, explosionis vulcanicae horrenda videntis initia, et secure ludentis, fugaeque nil molientis? Certe tempus, quamvis angustum, dabatur fugiendi, et hac concessa venia usi sunt Pompejani non minus, quam reliqui harum regionum incolae.

Quae tam diu latuerunt sub tenebris oppida, nostris temporibus quasi ex Epimenideo somno surgunt. Primo detectum fuit casu quodam Herculaneum, sequebantur mox Pompeji Stabiaeque. Cum pagi et villae super Herculani tecta positae et difficultas effodiendi mox finem posuerint effossionibus hujus oppidi; regionum vero super Stabias jacentium fertilitas atque pretium hanc urbem effodi hucusque prohibuerint, eo alacrius et constantius Pompeji effodiuntur, lucique redduntur hodiernae. Lucem rursus vident, vitam rursus non capient, sed larvarum umbrarumque exanguium more perpetuo silebunt.

Miraberis quod tam diu latuerint Pompeji sub terris absconditi, cum tamen situs et fata hujus civitatis ab antiquis scriptoribus distincte satis et aperte indicarentur. Miraberis hoc eo magis, quod jam hinc inde in illis regionibus detecta fuerint varia antiquitatis monimenta, ut moenia, statuae, columnae, inscriptiones, imo ipsum Herculis templum et anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo aerae Christianae construxerit *DOMINICUS FONTANA* (ex jussu *Niccola di Alagni*, Comitis de Sarno) aquaeductum, qui aquas Sarni deduceret ad oppidulum *Torre dell' Annunziata*, totam Pompejorum civitatem transgredientem ita, ut fundamenta ejus posita sint in ipsis ejusdem civitatis viis antiquis. Tandem anno millesimo sexcentesimo octogesimo nono primum effodiendi Pompejos factum est conamen, mox iterum derelictum quidem, usque dum anno millesimo septingentesimo quadragesimo octavo Rex Siciliarum *Carolus Borbonicus* sedulo effodi juberet, quod Herculano prius, Pompejis vero anno millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto tandem contigit. Pompejorum ruinae medium locum obtinent inter oppida recentiora *Torre dell' Annunziata* et *Scafati* ita, ut

hoc Pompejis ad orientem, illud ad occidentem jaceat; Herculaneum obtegunt oppida *Resina* et *Portici*, *Stabias Castell'Amare* et *Gragnano*.

INSTRUMENTA CHIRURGICA.

In illa urbis Pompejorum parte, quae versus occasum et septentrionem spectat, patet per viam sepulcralem et portam Herculaneensem in ipsam Pompejorum urbem introitus. Viae sepulcralis intra urbem continuatio nunc nomen gerit *Corso di Pompei* et pars est viae consularis (*Strada consolare*), quae ab ipsa Neapolitanorum urbe ad Herculaneum, deinde per oppida *Resina* et *Oplonte* Pompejos tendens hanc ipsam urbem transgreditur et ad urbes Nuceriam et Salernum ducit. In latere (per portam in urbem tendentibus) sinistro hujus viae (*Corso*), juxta et infra domum, quae imperatoris Claudii fuisse dicitur, illa domus locum tenet, in qua primum chirurgica instrumenta re-
 perta sunt *). Ob haec ibi detecta chirurgorum utensilia dixerunt alii hanc domum scholam chirurgicam seu museum anatomicum (*Scuola chirurgica, gabinetto anatomico* **)), alii vero medici cujusdam officinam vel habitationem fuisse putaverunt Museum anatomicum, vel scholam vel officinam chirurgicam certe non fuisse hanc domum, primus jam delineationis ejusdem conspectus docet, cum plane a constructione domorum ceterarum non reapse recedat, sed cubiculos varios, hortulum, puteum, cisternam, balinea aliaque contineat, ad usum vulgarem veterum pertinentia. Habitationem medici fuisse inde forsitan dubitares, quod cubiculum, in quo instrumenta chirurgica re-
 perta sunt, in remotissima domus parte situm et valde angustum sit, ita ut libentius in KÜHNII sententiam descenderem, asserentis: „servum chirurgum, cui herus simul hortuli culturam mandaverat, in illa cella habitasse“ ***). Id ex eo verosimile red-
 ditur, quod cubiculum illud in vicinia horti sit repertum. Numerus instrumentorum ibi

*) ROMANELLI *viaggio etc. Part. I. pag. 104.* — FRID. MÜNTER *Nachrichten von Neapel und Sicilien auf einer Reise in d. J. 1785. und 1786. Kopenhagen, 1790. 8. pag. 76.*, ubi etiam delineatio architectonica hujus domus invenitur, quam ex Münteri opere rursus ligno incisam exhibuit V. Cl. CAR. GOTTLÖB KÜHN, in programmate nuper edito: *De instrumentis chirurgicis, veteribus cognitis, et nuper effossis. I. Lipsiae, 1823. 4. pag. 6.*

**) ROMANELLI *viaggio* l. c.

***) l. c. pag. 7.

reperitorum ad quadragesimum accedit, omnia reposita sunt in Regio Museo. Quenam haec instrumenta fuerint, cuperem quidem, hic me posse indicare, sed cum in majori opere, in quo effossa omnia ex his terris iconibus et descriptionibus illustrantur *), nondum descripta sint haec veterum utensilia, in BAYARDII autem catalogo **) instrumenta quidem describantur chirurgica permulta, sed non indicetur, an Herculani, an Pompejis reperta sint, non audeo hanc in me suscipere referendi provinciam.

Quinque alia instrumenta chirurgica reperta sunt in taberna quadam venditoris olei vel vini, quae sita est in latere meridionali viae parvae ab occasu ad orientem vergentis in illa urbis regione, in qua Pansae domus sita est ***). Cujus generis et formae fuerint haec instrumenta nullibi indicatur. Cum autem reperta sint instrumenta in domo certe non ad medicum usum destinata, et inter utensilia domestica et culinaria, conjici poterit, ad minorem vulgaremque chirurgiam ea pertinuisse, et confirmari videtur hoc invento illa, de qua supra jam diximus, sententia, scilicet inter domesticos veterum fuisse etiam quosdam, qui chirurgiam minorem exercerent, et cubicula, in quibus instrumenta chirurgica reperiuntur, fuisse habitationes eorum, non vero officinas vel scholas medicas.

Accedimus nunc ad eum locum, in quo recentissime reperta sunt instrumenta chirurgica, ea nempe, quae descripsit medicus quidam Petropolitanus PETRUS SAVENKO †). Ipse medicus Petropolitanus non accurate locum indicat, in quo haec instrumenta reperta sint, unde factum est, ut nonnulli in eadem domo reperta ea esse putarent, ex qua prius jam quadraginta instrumenta chirurgica effossa sunt. Hujus opinionis participem fuisse V. Cl. KÜHNIIUM video, in doctis, quae de instrumentis veterum

*) *Le antichità d' Ercolano, Napoli 1757. etc. fol.*, in quo opere hucusque nil nisi picturae, staturae et lucernae describuntur.

**) OTTAVIO ANTONIO BAYARDI *catalogo degli antichi monumenti disotterrati della scoperta città di Ercolano. Napoli 1754. fol. maj.* ubi in capitulo „Cose varie“ enumerantur pag. 359 — 365., No. 236 — 294. varia instrumenta veterum chirurgorum.

***) ROMANELLI *viaggio etc. Part. I. pag. 146.*

†) Descriptionem et effigies eorundem invenies in ANNIBALE OMODEI *annali universali di medicina, 1822. Marzo, fascicolo 63. pag. 434.*, sub titulo: *Nota sulla chirurgia de' primi tempi e su di alcuni stromenti chirurgici trovati negli scavi di Pompea*, di PIETRO SAVENKO, cum tabula aenea instrumentorum reperitorum figuras ostendens. Eandem scripturunculam cum iisdem figuris habes in diario medico Franco-Gallico *Revue médicale* dicto, et Germanice excerptum et contractum cum tabula lithographica minus accurata in LUD. FRID. V. FRORIEP *Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde 1822. März, No. 26.*, vel voluminis secundi No. 4. pag. 57.

chirurgorum nuper conscripsit programmatibus *). Nihilominus certum est, utramque domum vere esse diversam, imo longo spatio ab invicem dissitam. Ut hanc in hac re enatam confusionem, quantum in me esset, dirimerem, adii amicum, quem illo ipso tempore, quo SAVENKOI instrumenta detegerentur, Pompejis versatum esse, noveram, scilicet V. Cl. HENRICUM HASE, musei antiquitatum et numorum Dresdensis custodem instructissimum, qui pro ea, quae ei erga me est amicitia, haec quae ipsi nota erant mecum communicare non dubitavit. Mos invaluit apud eos, qui effodiendis Pompejis praesunt, in honorem illustrium peregrinorum, qui ruinas Pompejanas videndi causa adeunt, novam effossionem iis praesentibus instituere. Idem hoc factum est, cum sub primis mensis Martii anni millesimi octingentesimi undevicesimi diebus ad has ruinas accederet Archidux Austriae et Palatinus Hungariae ANTONIUS, in hujus honores nempe domus nova effodiebatur et id quidem in illa via, quae a porta Nolana (ab oriente ad occidentem) tendit ad portam Herculensem. Domus haec, illa occasione recenter effossa, fuit illa, in qua instrumenta reperta sunt, quae SAVENKO descripsit; et effodi illa continuabatur, cum paucis diebus post item accessit ad ruinas Magnus Russorum Princeps MICHAËLIS, quem comitabatur medicus ille Petropolitanus PETRUS SAVENKO, cui ob tantum patronum singularis illa et rarissima data est venia, instrumenta haec delineandi, cum praeterea nemini concedatur vel delineare vel metiri quid, vel inscriptionem describere, sed haec omnia Academia Herculana sibi soli vindicet. Ceterum haec domus, in qua illa a SAVENKOO descripta instrumenta reperta sunt, constructione sua non differt a reliquis domibus; medici cujusdam habitatio fuisse creditur. Quod ad instrumenta ipsa attinet, quae in hac domo reperta sunt, hic amplius et diductius ea recensere eo minus opus est, cum Cl. KÜHNIIUS jam hoc in se munus susceperit, describendi scilicet accuratius haec instrumenta et conferendi cum veterum chirurgorum descriptionibus. Brevis ergo enumeratio sufficiet: Inventa sunt specilla (N. 5. 19.) duo ferrea, brevius alterum, alterum longius; ferrum ustorium (N. 3.) pro cauterio actuali, nostris ferramentis ad hunc usum constructis simillimum; lanceolae (N. 4. 12.) cupreae cum acie in utroque margine et appendice cubico pro applicando manubrio, forsitan venis secandis destinatae; cultra (N. 15. 17.) cum acie et dorso, itidem, ut videtur, ex cupro confecta; elevatorium (N. 16.) ferreum pro trepanatione; for-

*) *Progr. I. II. Lipsiae, 1823. 4.*

ceps (N. 11.) dubiae constructionis, forsan ad dentes evellendos confectus; volsellae (N. 6. 7. 8. 9. 10.) variae formae et magnitudinis, fistulae (N. 1. 18.), ut videntur, urinariae, curvatae; acus (N. 14.) magna cum foramine quadrato; denique spatulae (N. 2. 13.) ferreae, usui chirurgico vel pharmaceutico inservientes.

Non dubito, quin in pluribus aliis Pompejorum aedificiis adhuc lateant chirurgorum instrumenta, sed optandum est, ut etiam ejusmodi ferramenta antiquorum detegantur, de quibus non adeo facile conceptum nobis mente formamus, quam de simplicibus hucusque detectis quae a nostris ad eundem finem formatis non multum recedunt.

An in aliis jam effossae hujus urbis locis detecta fuerint ferramenta chirurgorum, certe affirmare non ausim. Asservantur omnia, quae reperta sunt, Neapoli in Museo Regio *).

P H A R M A C A.

In eo loco, in quo via, quae dicitur *Corso di Pompeo*, in duos ramos finditur, quorum angustior, ad meridiem tendens, nondum ex toto effossus est, amplior autem inter meridiem et orientem dirigitur, inveniri dicitur officina pharmaceutica **). Et id quidem concluditur e repertis ibi pilulis, trochiscis, et vasis multis cum exsiccatis medicaminibus. Quibus argumentis hoc quoque additur, quod in pariete domus serpens magnus cornutus depictus sit, qui fructum quandam comedere tendit ***). Certum est exstitisse tunc temporis in civitatibus Romanis tabernas pharmaceuticas, in quibus Seplasiarii, Pigmentarii, Pharmacotribae alique id generis homines medicamenta vendebant tam composita quam simplicia, simul cum pigmentis aliisque huc pertinentibus. Conveniunt igitur hae tabernae non tam cum officinis pharmaceuticis nostrorum temporum, quam cum iis locis, quos semigermanico vocabulo *Droguereien*

*) Confer CH. JÜNGKEN *Bemerkungen auf einer Reise über Wien und München nach Italien i. J. 1818*, in diario chirurgico GRAEFE und WALTHER *Journal der Chirurgie und Augenheilkunde*, 2. Band, 2. Heft, Berlin, 1821 8. pag. 366.

***) ROMANELLI *viaggio etc. Part. I. pag. 123.*

****) Iconem vide in FRANÇOIS MAZOIS, *les ruines de Pompei, destinées et mesurées. Paris, 1812 etc. fol. max.*

dicimus. Sane quidem PLINIUS senior, iniquus saepe medicinae, omniumque Graecarum artium osor, medicos sui temporis acriter carpit, quod ignorantiae causa nimis confidunt pharmacopoeis, de quorum probitate et doctrina non tantopere sibi persuasum haberet *).

An vero domus, de qua nunc agimus, vere fuerit officina seu taberna pharmaceutica, difficilius certe constituitur, cum accuratior indagatio medicamentorum ibi repertorum non existat. Ex serpente adpicto hanc sententiam valdopere firmari non putamus, cum serpentis simulacrum ad medicinam in templis Aesculapii factam pertineret quidem, neutiquam vero tunc temporis jam ad ejusmodi tabernas, quae ne soli quidem medicinae inservirent, transferretur; idque eo minus, cum medicina, quae medicamentis agebat, amicum consortium cum ista templorum medicina certe non habuisse putanda sit. Neque etiam serpens medicinae semper simulacrum fuit, sed *genium loci* apud antiquos saepissime denotabat. Sic inter picturas Herculanenses tabula habetur, in qua serpens arae rotundae circumvolutus poma arae imposita lambit, juvene simul adstante et cum inscriptione GENIUS HUIUS LOCI MONTIS **). Cogitari posset, serpentem ab antiquis hac de causa praesertim pro genio loci habitum fuisse, quia in ipsis terrae cujusdam penetralibus habitans, indolem terrae, scilicet aquarum, metallorum, climatisque ipsius naturam melius novisset, quam cetera animalia, cum quasi hoc loco sit indigena et *αυτοχθων* ***). Cum autem ipsa terrarum indoles (*genius loci*), tantum conferret ad sanitatem incolarum conservandam reparandamque, serpens mox etiam ad medicinae sacra transivit et Aesculapii factus est constans comes et simulacrum. Et ipsa hominis natura interna, quae vitam alit et conservat, morbosque tanquam insita vis medicatrix repellit et expugnat, quid, quaeso, aliud est, nisi *hujus loci*, hominis nempe cujuscunque, *genius* rite constitutus? Sic serpentis significationes

*) „Atque haec omnia medici, quod pace eorum dixisse liceat, ignorant, pars major et nominibus in tantum a conficiendis medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinae solent. Nunc quoties incidere in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc est, impendio miserorum experiri commentaria, credunt Sephasiae, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti, factaque jam pridem emplastra et collyria mercantur, tabesque mercium; Fraus Sephasiae sic exteritur.“ PLIN. hist. natur. l. XXXIV. c. 11.

***) *Le pitture antiche d'Ercolano. Tom. I. Napoli, 1757. fol. Tab. 38. pag. 202.*

****) DE BROSSES *du culte des dieux Fétiches. Paris, 1760. pag. 25 sq.* (germanice: *Stralsund 1785.*) Vox Fetisch, Fétiche, quae in hac scriptiuncula primo in hunc usum convertitur, descendere dicitur a Lusitanicis vocabulis Fetisso et Faticeira, magicas res designantibus, forsau a Latino verbo vaticinari deductis.

allegoricae, quae primo intuitu vehementer inter se discrepare videbantur, propius consideratae, unam eandemque efficere intelliguntur.

Exstat inter picturas Herculenses tabula, in qua duo genii seu pueruli prelo succum e fructibus exprimunt, tertius vero spatula vel cochleari massam quandam in aheni, furno portatili imposito, tractat et agit (*). Explicatio hujus picturae duplex existit, aliis scilicet eam ad vini mustique praeparationem, aliis vero ad rem pharmaceuticam pertinere putantibus (**). Confiteor equidem, me huic opinioni magis favere, quam illi, cum ipsi fructus, prelo subjecti, amygdalarum formam melius repraesentant, quam uvarum, furnus anemius autem, in quo puerulus massam exagitat, magis ad rem pharmaceuticam trahi posse videatur; ipsaque pueruli vel genii functio haec esse possit, ut amygdalas prelo subjiciendas igniculo prius exponat, uti hodie etiam fit in expressione olei amygdalini. Habermus tunc in hac tabula genios pharmaceuticos, oleo exprimendo occupatos. Sed hanc dissensionem dirimendam peritioribus in re antiquaria trado, litem sub iudice relicturus.

A M U L E T A.

Conspiciuntur in multis domorum Pompejanarum parietibus signa priapi lapidibus insculpta vel muro adpicta. Fuerunt, qui haec simulacra, apud antiquos frequentissime obvia, pro signo praevalentis in domo foecunditatis, vel etiam pro signaculo lupanarium haberent. Utraque opinio assensionem non omnino meretur, sed potius affixa videntur ejusmodi simulacra pro capiendo bono omine et averruncando malo a domibus earumque incolis. Vis scilicet fascini (quod *mal occhio*, quasi malum obtutum, recentiores Itali dixerunt), rumpi credebatur simulacris turpibus, foedis et ridiculis. Hac ex causa veteres phallum seu simulacrum priapi collo saepe torquis ope affixerunt, ut ita ab omnibus calamitatibus, fascino oriundis, liberi essent tutique. Quare ingens numerus amuletorum, in phalli forma confectorum, Pompejis et Herculani repertus est, quae delineationem adhuc exspectant (***)). Quae cum ita sint, eorum quoque simul

*) *Pitture* l. c. Tom. I. Tab. 35. pag. 183.

**) *ROMANELLE viaggio etc.* l. c.

***) In *BAYARDII* supra citato antiquitatum Herculensium catalogo describuntur interim et enumerantur, scilicet in capitulo „*cose varie*“ inscripto, phalli purissimi, pag. 365, No. 295 — 320; ex quibus

probari potest opinio, qui contendunt, significare haec parietibus insculpta priapi simu-
 jaca habitationem fabricatoris amuletorum. Utrique opinioni non refragantur mores ve-
 terum, quatenus nobis hucusque innotuerunt; neque etiam refragatur ipsis decantata illa
 Pompejis reperta inscriptio: HIC HABITAT FELICITAS, quae sub magno priapi simulacro
 parieti insculpto in vicinia furni pistorii publici legitur, nam vere et suo jure, super-
 stitioni receptae confisus, dicere poterat possessor vel fabricator vel venditor amuleto-
 rum: „hic, in mea domo habitat felicitas, felix faustumque scilicet augurium, coepto-
 rumque omnium amuleti ope bonus eventus.“ Et hic mihi quidem hujus inscriptionis
 perspicuus sensus esse videtur. Haec quamvis a medicinae provincia paullo longius
 remota, data occasione silentio praeterire nolui.

FANUM AESCULAPII.


In meridionali Pompejorum parte, a templo Isidis versus orientem, a theatris
 vero versus septentrionem sitae sunt (juxta illam domum, quam ob statuarum multitu-
 dinem ibi repertarum, officinam statuariam dicunt) ruinae *fani Aesculapio consecrati*;
 ruinae scilicet, nam admodum paucis pepercit hic temporum injuria. Templum ipsum
 neququam magnum fuit, neque etiam insigniter decoratum; ara quadrata medium templi
 occupat; ad sanctuarium ascenditur per novem gradus, et columnae, olim tectum susti-
 nentes, hodie in terram delapsae conspiciuntur. Statuae tres ex creta cocta rude con-
 fectae, Aesculapium, Hygieam et Priapum referentes in hoc templo repertae sunt; ex
 quibus conjici licet, Aesculapio hanc aedem fuisse dicatam. Jam quid sibi velint hae
 ruinae, et an vere templi Aesculapii monimenta sint, quaerimus. Quamvis non negan-
 dum sit, Romanos, post advectum in Tiberis insulam serpentem Epidaurium, coluisse
 Aesculapii numen, incubationes aliosque ritus Epidaurios celebrasse, praesertim vero
 aegrotos in his templis sacra faciendo curasse *), tamen primo fere obtutu colligitur,
 fanum illud, de cujus ruinis nunc dicimus, neququam ad ejusmodi sacra fuisse desti-

ea, quae (pag. 370 sq.) sub numeris 309—320 veniunt, pro amuletis adhibebantur. Alia vero amuleta,
 non phalli formam habentia, sed scarabaeorum, vermium, testudinum, avium, piscium, elephantorum,
 hominum dein Deorumque, ibidem descripta habes. pag. 371 sq. No. 321—359.

*) De qua re egregie, sicut solet, disserentem adeas BÖTTIGERUM, V. Cl. „*Der Aesculapiusdienst
 auf der Tiberinsel; medizinische Schlangengaukelerei*“ in SPRENGELII *Beiträgen zur Geschichte der Medizin*,
 2. Stück, pag. 163—202.

natum, cum minus spatiosum sit et cubiculis pro conservandis aegrotis plane careat. Conspicias quaeso ruinas templi Serapidis, quae Puteolis (ergo in his ipsis regionibus) reperiuntur *), et facile discrimen inter ejusmodi templum, illudque fanum, quod Pompejis effossum est, senties. Denique in Asclepieis simulacra quidem conspici solent Aesculapii et Hygieae, cum puero illo aenigmatico, quem saepe pro Harpocratis effigie jure dubio venditant; sed Priapum quoque in his templis fuisse expositum cultumque, equidem audivisse non recordor. Quae cum ita sint, in dubiis mihi quidem relinquendus hic locus est, et dubitare liceat, an vere hic Aesculapii templum extiterit. Haec autem quaestio non sine accurata statuarum ibi repertarum disquisitione dissolvi poterit, quae mihi, cum hanc non liceat adire Corinthum, omnino negatur.

*) ROMANZELLI *viaggio etc. Part. II.* pag. 136 sq. ubi etiam delineationem architectonicam ejusdem videre licet.



Propero nunc ad id, cujus causa haec scripta sunt. Scilicet REGIS SERENISSIMI gratia delatum mihi est *manus Professoris medicinae theoreticae et instituti policlinici Directoris* in Academia chirurgico-medica Dresdensi. Quod munus ut fausto omine et solenni ritu aggrediar

die decimo quinto Decembris, hora tertia pomeridiana
in auditorio Academiae recitabitur a me oratio


de medicinae vi in humani generis cultura.

Quam solennitatem ut Director, Decanus, ceterique Professores Academiae chirurgico-medicae, nec non Chirurghi militares omnium ordinum et tirones huic Academiae adscripti praesentia sua condecorare velint, omni, qua par est observantia rogo.

EXPLICATIO TABULAE.

- A. Porta Herculaneensis.
B. — Vesuvina.
C. — Nolana.
D. — ad Sarnum.
E. — Stabiana.
F. Via publica inter oppida *Scafati* et *Torre dell' Annunziata*.
G. *Casino d' Amora*.
H. Forum.
K. Portus antiquus (?).
a. Domus Arrii Diomedis.
b. Via sepulcralis.
c. Templum Jovis.
d. Templum Veneris.
e. Basilica.
f. *Casa di Championet*.
g. Porticus.
h. Templum Herculis.
i. Curia Pompejana.
k. Templum Isidis.
l. Amphitheatrum.
m. Templum Aesculapii.
n. Theatrum tragicum.
o. Forum nundinarium.
p. Theatrum comicum.
q. Habitationes recentiores.
1. Domus a Münstero delineata, in qua quadraginta instrumenta chirurgica reperta sunt.
2. Domus, in qua quinque instrumenta chirurgica reperta sunt.
3. Officina pharmaceutica.
4. Regio urbis recenter effossa, in qua *Savenkoi* instrumenta chir. reperta sunt.

POMPEII.



Peds Parisienses

100. 500. 1000. 1500. 2000.



